

Q. F. F. Q. S.  
*De*  
COLUMNIS HER-  
CULIS

Dissertatio,

*Quam*

Cum consensu Amplissimæ Fa-  
cultatis Philosophicæ in Regia  
Livonorum Academia,

PRÆSIDE

*Viro Præcellentissimo*

OLAO HERMELINO,


Prof. Eloq. & Poet.

Publicæ ventilationi exponit

KENICIUS KENICII,

Angermannia Svedus,

*In auditorio majori ad d. 4 Martii*




DORPATI,

Excudit Johannes Brendeken,

*Acad. Typograph.*

*MDCXCLL.*



S.<sup>æ</sup> R.<sup>æ</sup> M.<sup>tis</sup>

Magnæ fidei VIRO,  
*Perillustri & Generosissimo*  
*Domino*

JOHANNI AN-  
DREÆ de PALEN,

Libero Baroni de Kloppitz & Wo-  
la Domino de Habbat etc.

Generali Majori equitum  
fortissimo,

*Nec non*

Ordinis equestris per Esthoniã  
consiliario gravissimo,

Domino benignissimo.

*Est. A*

*5751*

*63135905X*

*Generosis, Nobilissimis & con-*  
*sultissimis VIRIS,*

SEBALDO CON-  
STANTI GRAMAN,

*&*

JOHANNI HENRI-  
CO de ELSVIGSHUSEN,

Supremi per Livoniam judicii  
Adfessoribus dexterrimis;

*ut &*

MAGNO JOHAN-  
NI EKESCHIOLD,

Regiã judicii Revaliensis Adfes-  
soriæquissimo,

Patronis & Dominis honorandis.

Aa

Perillu-

Perillustris, Generosi,  
Nobilissimi & Consultissimi  
DOMINI.

**E**O majori studio

Mæcenates comparare, eoque  
majori reverentia eos prosequi de-  
bent Musarum cultores, quod  
omnium maxime iis egere reperi-  
antur. Ut enim, sine aliorum  
auxilio, literarum curriculum rite  
absolvant, paucis fortuna con-  
cessit:

cessit: & postquam florem ætatis  
vegetæ inter Musas contriverant,  
carebunt omni laboris fructu, ni-  
si Mæcenates invenerint. Et pro-  
fecto cum iis tanto pejus agitur,  
quod alia quidem vitæ genera se-  
ctantibus maturior ad honores a-  
ditus patet, & cum die census  
crescit: in palæstra autem litera-  
rum sudantes, non tantum tem-  
pus impendunt, sed etiam rem  
familiarem, incerta sæpè futuro-  
rum spe. Sollicitius igitur con-  
tra fortunam novercantem patro-  
nos circumspicienti, Vos occur-  
ristis, Domini, quorum partim  
gratiam ambire velim, partim ac-  
quisitam grati animi pignore con-  
servare. Quod enim ad Tuum,  
Perillustris Baro, patrocinium per  
hæc pagellas viam adfectem,

Clarissima humanitatis Tuæ fama,  
quæ inter multas Tuas virtutes  
familiam ducit, & non modo Li-  
voniam nostram, sed & totum re-  
gnum implevit, in causa est. Et  
quamvis à Musis diversam agas  
vitam, non tamen rem Tuomun-  
nere indignam facies, si earum  
cultores benignè respexeris. Ip-  
se etiam Hercules, heroum quot-  
quot extiterunt, fortissimus, in  
cujus facta hæc dissertatio inquirat,  
Musarum comitem ducemq; non  
dedignatus est esse, & communia  
cuius templa habitare. Unde etiam  
Musarum Hercules & Musagetes  
antiquis est dictus. Vobis autem,  
Nobilissimi Viri, quas gratias re-  
feram? qui favorem toties mihi  
compertum demerebor? sentio  
me in ære vestro esse; verum  
curta

curta supellex, & exiguæ vires  
prohibent, quo minus, cum ve-  
lim, gratus esse possim. Dum  
tamen hi spiritus hos regunt artus,  
beneficiorum vestrorum memori-  
a semper apud me virebit. Inte-  
rea ut pignus qualecunque grati  
animi extet, accipite hanc Dissertati-  
tatiunculam, Nobilissimis Vestris  
nominibus inscriptam; nec sper-  
nite levidense munus, siquidem  
majus dare nequeo. Nisi illud  
majus putaveritis, quod supremū  
numen pro Vestra, Patroni Peril-  
lustris & Nobilissimi, incolumita-  
te deprecari nunquam desinam.

*Perillustris*

*&*

*Nobilissimorum*

*Nominum Vestrorum*

*Devotus cultor*

*Kenicius Kenicium*

In Dissertationem  
de

# Columnis Herculis,

**Q**uas quondam Alcides rigida de ru-  
pe Columnas  
Constituit, dextra celsa tropæa sua,  
Longior obscurâ caligine merferat atas,  
Aut superinjecto seraverat hora solo:  
Qui nunc illustrat veterive in sede reponit,  
Ille simul nomen construit ecce suum.

*Præstantissimo Domino Auctori  
gratulabundus adposuit*

Gabriel Stragge/  
Orient. & Gr. Ling. Prof.

Caput



## Caput. I.

§. I.

**C**olumnas Her-  
culis indagaturo, non  
parva in ipso limine dif-  
ficultas occurrit, Herculis etymon  
detegendi, doctis in diversas adeo  
opiniones discedentibus, ut cui earū  
maxime accedam, vix exigere po-  
tuerim. Græcis Ηρακλῆς dicitur,  
quod ἀπὸ Ἡρας deductum, & per  
metathesin ab ἁῆς formatum, ju-  
nonem aeremq; significat, & Ἡ κλέος  
gloria, adeo ut sit gloria junonis,  
A5 vel

vel vir aereus cœlestisque. (1) Verum posterius hoc non operosa eget refutatione, cum nulla idonea ratio subest, quare Hercules ita appellaretur: alterum Celeberrimo Rudbeckio (2) non probatur, siquidem tantum abfuit, ut ex Hercule gloriam celebritatemq; Juno acquisiverit, ut potius in dedecus ejus natus videretur, & propterea ei invisus maxime fuerit. Nisi καὶ ἀντίφρασον sive per λέξιν τὸ ἐναντίον σημαίνουσαν ita dictum putabimus, tanquam qui junonis odio maxime inclaruerat, ei materiam gloriæ suppeditantis, ex ingentibus quibus eum objecerat periculis. Alii ab ἥρωος & κλέος nomen hoc conflatum opinantur, quod est gloria splendorq; heroum: (3) quæ derivatio non adeo inepta haberetur, nisi jam

Cato

(1) Vossius Etymol. p. 247. & Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 1.

(2) Atlant. 1. cap. 33. §. 4.

(3) Vossius l. cit.

Cato aurem velleret, moneretque frustra me hic ἐπιηύξειν. Sic autem ille: Græci ubicunque nomen Herculis audiunt, putant esse suum, à nomine sumentes argumentum: cum tamen ille neque nomine Lybius, à quo devicti Lybii, sed Alceus dictus sit, neq; dictio Herculis sit Græca sed Ægyptia. Nam ipsi Heraclio, id est, junonis gloria cognomen fuit.

(4) Quid ais, Cato? dictionem Herculis non esse Græcam, & Heraclium cognomen esse. Different igitur inter se Hercules & Heraclius. Aut hoc verum est, aut nomen Herculis ex priori expressum, quod Græci invenissent, id genio suæ linguæ conveniens. Quod illis familiare fuisse, præter alios etiam Plato (5) testatur: Solon, inquit, unius cuiusq; (de barbaris loquitur) notionem adsumens, ea nomina nostri sermonis quasi veste donavit. Porro si Pythoni suo credunt Græci, Heracles, cognomen

(4) Cato Originib.

(5) Plato in Timæo p. 112.

men est. Ἡρακλέην δὲ σε Φοῖβος ἔπωνυμιον ἰξονομάζει. Te vocat *Heraclem* claro cognomine *Phæbus* (6) Idem Diodorus Siculus & Eustathius inculcant (7) Alcæum scilicet Alcmenæ filium, Hercules cognomine adpellatum fuisse; non quod propter Junonem sit gloriam adeptus, sed quod patri illius Hercules Ægyptii virtutem imitatus. Nomen igitur Græco Herculi, ut ex supra citatis adparet, Alcæus fuit, aut ut alii (8) tradunt Alcides: quamvis hoc potius patronymicum videatur esse, ab Alcæo avo paterno.

## §. II.

Æquo igitur animo ferant Græci sub alio cælo inquirentem incunabula hujus vocis, quæ ipsis aliisque eruditis toties crucem fixit. Paulo ante nobis Cato perfvadere voluit,

(6) *Ælian. V. H. 2. 32.*

(7) *Diodor. Sic. lib. 4. c. 1. Eustat. Iliad. ζ.*

(8) *vid. Micrælius Synt. hist. part 1. sect. 3.*

voluit, dictionem Hercules Ægyptiam esse, cui Herodotus (9) aperte adfentit: καὶ μὴν ὅτι γε ἡ παρ' Ἑλλήνων ἔλαβον, τὸ ὄνομα, τῶν Ἡρακλέους Αἰγύπτιοι, ἀλλὰ Ἕλληνας καὶ δὸν παρ' Αἰγυπτίων: *Herculis nomen non Ægyptii à Græcis acceperant, sed Græci potius ab Ægyptiis. Equidem sicut ex historia satis constat, Græcos cultum Deorum ab Ægyptiis maxime accepisse; ita eorundem nomina inde habuisse non admodum dubitari potest. Omnia fere deorum nomina, inquit idem (10) ex Ægypto in Græciam pervenerunt. Idem etiam: Multo deinde progressu temporis aliorum Deorum nomina audierunt ex Ægypto allata. (11) Et paulo post: (12) Consulentibus igitur apud Dodonam Palægis, nunquid nomina quæ a barbaris advenissent, adsciscerent, oraculum reddidit, ut illis uterentur. Quo tamen loco, an barbari ab Ægyptiis distin-*

(9) *Herod. lib 2. cap. 67.*

(10) *Herod. l. 2. cap. 69.*

(11) *idem cap. 69. (12) p. 124.*

distingvantur, ut putatur, (13) docti judicaverint. Interim non absurdum erit dicere, quod quæ ab Ægyptiis Græci nomina acceperunt, non statim origine fuissent Ægyptia. Potuerunt etiam hi ab aliis ea accepisse, ut non obscure Plato (14) his verbis innuit: *Invenitq̄* (Solon) *primos illos Ægyptios, barbarum rerum scriptores, in linguam suam ea nomina* (barbarorum hominum) *transulisse.* Idem de Herculis nomine dici potest, siquidem quid lingvâ eorum significet, non adeo constat: nisi quod per Herculem Solem intellexisse videantur, & illud quod vim percellendi & dividendi habet. (15) Copticâ, quæ etiam Ægyptiaca est, Orus est dictus, id est, Rex. (16) quod cum ea significatione

(13) Rudbeck. *Atlant. part. 1. p. 684.*

(14) Plato in *Timæo.*

(15) Plutarch. de *Isid. & Osir. p. m. 152.*  
vers. *Xyl.*

(16) *Micral. Syn. p. 62.*

catione convenit, qua Tyriis est appellatus. Non enim, ut Grotii utar verbis, *vocabatur Tyrius Hercules, sed* *Μελέχαιος, ὕμν Ἰσο Melech erez, id est, Rex terra, ut nos docet Phyllo Biblyus.* Sed Græci ob rerum similitudinem *Herculem* dixere (17) Bochartus autem, *Melech Cartha, hoc est, Regem urbis, scilicet Tyri, dictum fuisse observat.* (18) Non dissimile Hesychius: *Μάλικα τὸν Ἡρακλεα αὐαθόσιο. Amathusi (ex Phœnicia oriundi) Herculem Regem vocant.* (19) Non enim mirum est uni Deastro, diversa nomina, prout à diversis populis colebatur, imposita fuisse: Sicut quoq; Hercules plurima nomina aut verius cognomina habuit, quæ hic coacervare tædiosum esset, præsertim cum parum ad propositum meum faciant. Deniq; Pausanias apud *Lybios & Ægyptios Sardum quendam Herculis cognomeniū assumpsisse testatur.* (20)

(17) *Grot. not. ad 2. Maccab. 14. 19. 20.*

(18) *Phal. p. 682 & 787.* (19) *Hesych. in Lexico.* (20) *Pausan. in Phoc. pag. 583.*

§. III.

Videatur jam quid Hebræa, quæ Phœnicia mater est, hic supeditet. Formabitur hic heros noster ab אור כל, Or Col, quod est Lux omnis, (21) sive illustrator omnium. Quemadmodum revera terras illustrasse dicitur, easq; latrociniis aliisque sceleribus infestas purgasse. (22) Quæ derivatio non ab Ægyptiaca recedit; eaq; admixta, fabula de duodecim Herculis laboribus optime explicari poterit. Quod enim Sol, qui Hercules, id est, lux omnis, sive illustrator omnium vocatur, duodecim signa Zodiaci perambulat; inde est quod Herculi 12. labores sint assignati. (23) Verum huic sententiæ objicitur, Phœnicis, ut supra demonstratum, hoc nomine Herculem non venisse. Quapropter

- (21) *Kipping. antiq. Rom. 1. 6. 9.*  
 (22) *Apulejus Apol. p. m. 202.*  
 (23) *Gyraldus Syntagm. in Hercule.*

pter Seldenus (24) de Diis Syris, *Hunc*, inquit, *Deum uti plane ignotum prætermisimus.* Kippingio (25) autem hic excipienti, exque libro Maccabæorum (26) adstruere conanti, Herculem Syris & Phœnicis non ignoratum fuisse responderi potest, Herculem re quidem ipsa fuisse notum, sed à Græcis ita dictum, à Syris autem aliter. Quis autem nescit Antiochum Epiphanem, qui Herculem & veneratus erat, & præfens ei ludos Tyri celebratos spectavit, origine Græcum fuisse? Idem Grotius monet (27) scilicet auctores, qui *Herculis Phœnicis meminere, uti intelligendos.* Melech autem fortassis non alius fuit, quam Molech, cujus meminere scriptura sacra. (28) Quam sententiam doctissimus Marshamus fovet, (29) quamvis alii per hunc, Satur-

- (24) *Synt. 2. c. 16.* (25) *l. c.*  
 (26) *2. Maccab. 4. 19. 20.* (27) *l. c.*  
 (28) *Levit. 18. 21.*  
 (29) *p. 289.*

num putent intelligi. Utrique certe humanis hostiis litatum est. De Saturno Curtius: (30) *Sacrum quoque repetendi quidam auctores erant, ut ingenius puer Saturno immolaretur.* De Hercule Plinius: (31) *Ad Herculem Pœni ( à Tyris orti ) omnibus annis humana sacrificaverunt victima.*

§. IV.

Tempus tandem est, ut relictis exteris, domum revertar, patriamque excoctam in linguam, an in illa vestigia aliqua Herculis existant. Demonstrat certe signa non obscura Celeberimus Rudbeckius, (32) Herculem ex Her exercitu & Kulle sive Kulle capite designans, adeo ut idem sit ac summus copiarum dux caputque. Sic Herled totum belli apparatus significat, & ipsum bellatorem jam prælio accinctum. Utraque derivatio sive Græcum Latinumve nomen

(30) l. 4. c. 3. (31) Plin. l. 36. s.

(32) part. 1. c. 23. §. 4.

nomen respicias, omnino Herculis fortem exprimit, utpote qui ob bella & res fortiter gestas tantum nomen meruerat. Confirmant hoc vocabula sexcenta, ab iisdem radicibus descendencia, adque rem spectantia militarem, quorum magna pars apud auctorem citatum collecta legi potest. Huic opponitur Fridkulle princeps pacis, & Fridkulla domina pacis. Præterea pastor sive mulier quæ pecori præest, Fækulla & Vallkulla vulgarissimis apud nos nominibus adpellatur. Proinde cum in aliis linguis, quas hic protuleram, leuem tantum allusionem ad nomen Herculis invenerim; in Gothica autem & nomini & rei aptissima & planissima se pandat derivatio, cur hæc pro genuina haberi nequeat, ab aliis doceri velim.

§. V.

Columnæ etymon & varias significationes docent Lexicographi:

mihī sufficit dicere, illam pro colle,  
cippo aut pilā in memoriam alicujus  
positā hic venire: quale autem  
fuerit, infra inquirendum. Græcis  
σῆλη dicitur. Svedis Stabbar & Stöt-  
ter. Florus (33) quas columnas  
antea, easdem postea (34) speculas  
vocavit. Seneca metas adpellare  
videtur: *Infraq; nostras substitit metas  
dies.* (35)

## Cap. II.

### §. I.

**E**xposita vocis origine, jam  
tempus est inquirendi, cui nam  
Herculi columnæ istæ debeantur,  
siquidem plures ejus nominis  
invenire licet. *Quem præcipue Her-  
culem colamus, inquit Cicero, scire sa-  
ne velim. Plures enim tradunt nobis  
ii, qui interiores scrutantur & recondi-*

(33) Florus 2. 6. v. 38. (34) id 4. 2. 76.

(35) Sen. *æt.* v. 45.

*tas literas: Antiquissimum Jove natum,  
sed antiquissimo item Jove. Nam Joves  
quoq; plures in priscis Græcorum lite-  
ris invenimus. Ex eo igitur & Lysito est  
is Hercules, quem concertavisse cum Apol-  
line de tripode accepimus. Alter traditur  
Nilo natus, Ægyptius; quem ajunt Phry-  
gias literas conscripsisse. Tertius est ex  
Idæis Digitis, cui inferias adferunt. Quar-  
tus Jovis & Asterie, Latone sororis, qui  
Tyri maxime colitur, cujus Carthaginem  
filiam ferunt. Quintus in India qui Be-  
lus dicitur. Sextus hic ex Alcmena, quem  
Jupiter genuit, sed tertius Jupiter. (1)  
Totidem Ampelius recenset, (2)  
sed paulo aliter: totidem & Arno-  
bius. (3) Varro autem, ut ex Ser-  
vio (4) constat, XLIV. Hercules  
cogebat; ex quorum agmine cer-  
tum quem columnarum auctorem  
statuere, non adeo in expedito est.*

B3

Hero-

(1) Cic. de nat. Deor. l. 3.

(2) Luc. Ampel. cap. quot fuere Jovis.

(3) Arnob. l. 4. p. 144.

(4) Servius in Æneid. 8. v. 564.

Herodotus longe parcior est, duos tantum Hercules requirere contentus; *Videntur inquit hi rectissime facere e Græcis, qui bisaria Herculis templa edificanda colendaq; censuerint, uni quidem immortalis, cognomine Olympio, immolantes: alteri vero, ut heroi, parentantes.* (5) Sed ob hoc quoq; effatum notari meruit à Plutarcho, unicuique tantum Herculem desiderante; qui post alia multa ei crimini data, tandem subjungit: *Hoc sibi studio duxit (Herodotus) non modo ut alios Hercules Ægyptios & Phœnices faceret; sed ut etiam tertium hunc e Græcia patria ejectum in barbaros deportaret. At enim de priscis & doctis hominibus, neque Homerus neque Hesiodus, neq; Archilochus, neq; Pisander, neq; Stesichorus, neq; Alcman, neq; Pindarus ullam habent mentionem Ægyptii aut Phœnicii Herculis: Sed unum illum norunt Herculem nostrum Beotum & Argivum.* (6) Hic si Plutarchus auditur, jam qui quæri-

(5) Herod. Euterp. p. m. 120. tur

(6) Plut. de malign. Herod. p. m. 512.

tur est inventus: verum quo minus fidem inveniatur, tot aliorum testimonia obstant. Ad doctos vero homines, ab eo enumeratos quod attinet, Græci fuerant, qui vitio familiari, genti suæ quodcumq; toto orbe eximium compererant, attribuerunt: & insuper poetica quadam imitatione Heroa suum cum perfectum exprimere voluissent, conquisito undique cultu exornarunt.

## §. II.

Plures igitur Hercules fuisse adparet; & primum quidem egregia rerum gestarum famâ inclaruisset, in cuius nomen cæteri, eum æmulati, transierant. Ægyptii Herculem apud se ortum perhibent, eosque qui pari virtute fuerant, in cognomentum adscitos, ait Tacitus. (7) Et Alexander Neapolitanus memoriam prodit, *Omnes qui vario & solerti ingenio*

B 4

fortis-

(7) Tacit. Annal. 2. cap. 60.

fortissimum aliquod facinus gessere, vel periculis sublevandis hominibus profuere, aut alicujus ingenii artis auctor vel princeps foret, à majoribus Herculis nomina tulisse. (8) Omnium tamen maxime celebrantur Ægyptius & Thebanus; quorum illum hoc antiquiorum, monumenta veterum testantur. Nam præter Herodotum aliosque quos supra nominavi, etiam hæc Pausanias refert: Tradunt Delphi venienti ad Oraculum Herculi Amphitryonis filio, Xenocleam Dei interpretem responsum dare recusasse, quod cæde Iphiti erat pollutus. Ibi sublatum è templo tripodem Herculem foras asportasse: ipsam vero interpretem ex tempore duxisse: Hic Tyrynthius Alcides, non ille Canobeus. Nam & ante Ægyptius Hercules Delphos venerat. (9) Ubi Pausanias tamen Herculi Thebano ablatum Tripodem imputat, quod Cicero Primo isti tribuit.

(8) Alex. Neapol. Genæal. diæ. l. 2. c. 15.

(9) Paus. in Phocic. p. 578. & Eliac. p. 278. vers. Syll.

tribuit. Ægyptium autem non diversum à Phœnicio esse putat Kippingius, (10) & Africanum incolatum fuisse, ortum vero e Phœnicum populis. Ab illo non longe recedit Brunnerus (11) *Historicâ*, inquit, *explicatione* (traditio de hortis Hesperidum) refertur ad Herculem be-roa Tyrium vel Ægyptium, sive is unus idemque fuerit, sive Tyrius quidem in Hispania, in Africa alter bellum gesserit. Quibus adjungere Macrobiani verba placet, an tale quid ex illis eruere quis potuerit. Ita autem ille: Deus Hercules religiose quidem apud Tyrios colitur: verum sacratissima & augustissima Ægyptii eum religione venerantur, ultraque memoriam (quæ apud illos retro longissima est,) ut carentem initio colunt. (12)

### §. III.

Quantum vero temporis inter  
B5 Phœni-

(10) Antiq. Rom. p. 112.

(11) Brun. ad Paleph. cap. 19.

(12) Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 20.

Phœnicium illum Thebanumq; intercesserat, exacte definiri vix poterit. Hunc quidem natum seculo fere integro ante excidium Trojæ, quod secundum calculum vulgarem incidit in annum M. C. 2767. Urfinus (13) tradit, & consentiens fama est. Quomodo alter non longe hunc ætate antecedet, si incerto cuidam apud Suidam fides habenda, cujus verba sunt: *Ἀνεφάνη δὲ τῆς Μίνωος Ἡρακλῆς Τυρῆος*, Regnante Minos inclaruit Hercules Tyrius. (14) Minos autem qui imperium maris exercuit, (15) Thebano æqualis erat, siquidem hic cadaver Icarum, dum Minoa fugiebat, undis enecti, ad insulam quandam juxta Pergamum delatum sepeliverat. (16) Verum ab Alexandro Polyhistoro antiquior longe traditur & quidem temporibus

(13) Chron. p. 220.

(14) Suid. *Ἡρακλῆς*. p. 1197.

(15) *Ibucyd.* p. 3. *vers.* Enekel.

(16) *Paus.* in *Bœot.* p. 510.

bus Patriarcharum: quo teste, Cleodemus dicit ex Chettura Abrahamo multos esse natos liberos, quorum tres ab ipso nominantur, Afer, Assur, Afra. Hos Herculi commilites fuisse in Lybiam & Antaum. (17) Utcunque sit, ex iis quæ adlata sunt, satis superq; constat Thebanum Juniolem fuisse.

### §. IV.

Utrumq; quidem fama clarum circumfert: sed nec dubitari potest, quin Thebano suo multa alterius facta tribuissent Græci. (18) Ad quod eos super obstinatam *Φιλαντίας* & præposterum suæ gentis honori velfificandi studium etiam cognominem utriusq; patriam induxisse crediderim. Thebanus certe uterq; fuit, sed è diversis Thebis. Osiris enim juxta Diodorum (19) pater Herculis Ægyptii fuerat, qui Thebis,

(17) *Apud Joseph. bell. Jud. lib. 1. cap. 16.*

(18) *Vid. Nat. Com. Myth. l. 7. c. 1. p. 693.*

(19) *Diodor. Sic. l. 3.*

bis, urbe ad Arabicam Nili ripam  
 sitâ, regnavit. Unde eadem *ἡσίου*  
*ὀσιεύου* καὶ *ἰσίδου* dicta: postea au-  
 tem é Ptolemaicis temporibus *Διοσ-*  
*πολις*. (20) Cui opinioni non pa-  
 rum ex Herodoto roboris accesserit;  
 qui postquam Græcos nomen  
 Herculis ab Ægyptiis accepisse di-  
 xerat, addit: (21) *Et ii quidem Græci, qui*  
*hoc nomen filio Amphitryonis imposuerunt.*  
*Quod ita se habere tum multa mihi indi-*  
*cia sunt, tum vero istud, quod hujus Her-*  
*culis (Græci) uterq; parens Amphitryon*  
*et Alcmena, fuerunt ab Ægypto oriundi.*  
 Hic Amphitryon Thebarum dein-  
 de in Bœotia princeps erat. (22)

§. V.

Uttamen verus aliquando pro-  
 deat Hercules, forsitan non abs re  
 fuerit ad disquisitionem vocare,  
 qua occasione columnis nomen  
 suum

- (20) *Stephan. in Διοσκ. vid. et Marsh.*  
*p. 26.* (21) *Herod. Ent. p. 119.*  
 (22) *Hesiod de Scut. Herc.*

suum indidisset. Varia hic opinio-  
 num diverticula offendo, Græca-  
 nicarum fabularum tesquis pene  
 impedita. Triticissima est, Hercu-  
 lem bello ad oras freti Gaditani ge-  
 sto, reliquisse ibi expeditionis suæ  
 monumenta: quæ Straboni (23) *ex-*  
*peditionis Herculeæ termini* vocantur,  
 & Plinio (24) *Laborum Herculis meta.*  
 Cum iisdem facit Natalis Comes,  
 (25) asserens *Herculem, suæ peregrina-*  
*tionis terminos, columnas in Iberia in ex-*  
*tremis Gadium oris statuisse.* Verum  
 Herculem, quicumq; demum fuerit,  
 ulterius penetrasse infra demonstra-  
 bitur: laborum autem metam sive  
 finem ibidem invenisse qui credam?  
 Cum post ablata Hesperidum ma-  
 la, Geryonisq; boves abductos, quod  
 utrumq; in vicinia Gadium factum  
 fuisse Solinus (26) & Mela (27) scri-  
 bunt,

- (23) *Strabon. lib. 3. p. 309.* (24) *Plin. præ-*  
*fat. l. 3.* (25) *Mythol. p. 700.*  
 (26) *Solin. cap. 37.*  
 (27) *Pompon. Mela l. 3. c. 7.*

bunt, Cerberus ex Tænaro protra-  
ctus, postremus laborum fuerat.  
Sic enim Euripides:

*υπερων ἢ ἀλλων πόνων* etc. id est.

*Multis peractis hic ego laboribus,  
Ad inferos ibi obsitas caligine;*

*Canemq; traxi janitorem Tartari  
In lucem, ut iussit severus Eury-  
stheus.* (28)

Eidem accinit Byfantius Philippus  
*Κέρβερον ἠγαγόντι, αἰθῆς οὐρανοῦ ἔχων*  
*Cerberus eductus, nunc sed Olympi  
pus habet.* (29)

Cur igitur non potius ad Tartari  
januam columnas posuerat? quæ  
tunc duplici de causa metæ laborum  
vocarentur; cum & fumus labor  
is appellaretur, & ibi natura defi-  
ciat. Imo post nomen columnis  
impositum, si modo eæ fuissent, in  
quibus ponendis,

*Utrin-*

(28) *Eurip. in Herc. insano.*

(29) *cit. Nat. Com. Myrb.*

*Utrinque montes solvit abrupto  
obice,*

*Et jam ruenti fecit Oceano viam,*

Plures eum adortum esse labores  
Seneca testatur. (30) Certe iis la-  
boribus quorum termini columnæ,  
nihil quidquam incertius obscurius-  
que. Duodecim ab Eurystheo  
imperatos ei tralatitium est, & in-  
ter multos Hyginus (31) refert; qui  
tamen parerga ejus longe plura fa-  
cit; quæ ex variis collecta apud  
Micrælium legi possunt. (32) Smyr-  
næus tredecim enumerat. (33) Deia-  
nira apud Ovidium, ubi amores  
servitiumq; Joles ei exprobrat, mil-  
le dicit fuisse:

*Non fugis, Alcide, victricem mille laborum  
Rasibus calathis imposuisse manum.* (34)

Et

(30) *Sen. Herc. fur. v. 236.*

(31) *Hygin. fab. 30.*

(32) *Micræl. Synt. p. 75.*

(33) *vid. Nat. Com. l. c.*

(34) *Ovid. Deian. v. 75.*

Et chorum juvenum senumq; in sacrificio Herculis decantasse scribit Virgilius

*ut duros mille labores,  
Rege sub Eurystheo, fatiis Junonis  
iniquae Pertulerit.* (35)

Qui ambo Euripidem imitati videntur, qui totidem adferit. Et quis dubitat duodenarium istum numerum mythologicè de sole exponendum esse, ut ex Gyraldo capite sup. notavi, & omnium optime magnus Vossius (36) docet? Nec desunt qui totam Herculis historiam ex rebus gestis Samsonis expressam esse putant, quorum in numero Augustinus (37) est. *Et Hercules Nemeus leo, (inquit Serarius) nonne Samsonis Thimnateus leo est? Hydrae, Centauri, Stymphalides aves nonne Philisteorum impetus sunt? Quid duae etiam columnae, nonne illae duae sunt, quas concussit, &*

(35) Virg. *Æn.* 8. v. 291.

(36) Vossius de theol. gent. lib. 2. cap. 15.

(37) August. l. 8. de civit. Dei. 19.

*per quas, quendam velut malorum oceanum in Philistaeos immisit? Feda etiam Herculis apud Omphalem servitus & effeminatio, ceteraq; ejus libido, nonne Samsonis, in Gazaea meretrice ac Dalila petulantiam & servitutum denotat? Mors in Oeta monte sponte ac ultro suscepta, de voluntario etiam Samsonis interitu non omnino nihil significat.* (38) An vereres ita sese habeat, non nostrum est dicere; sicut nec discernere quinam labores huic vel alteri Herculi competant. Sed nec illud omiserim, labores Herculis cum Geryone & Hesperidum malis, quos alii juxta oras Gaditanas exantlatos volunt, juxta Palæphatum, (39) priorem in ponto Euxino, alterum in Caria, peractos fuisse; quod Herculi Thebano convenientius est, siquidem cum Argonautis, ut ex Orpheo & Flacco constat, ea loca peragraverat.

Proinde cum varia  
Commentariis adeo

(38) Ser. ar. not. ad Justin. lib. 42. 3.

(39) Palæphat. fab. 19. & 25.

adeo & absurda de hoc traduntur, quem Græci volunt duodecim labores sustinuisse, iisque absolutis, columnas Gaditanas excitasse, necesse est multa quæ ab aliis patrata sunt, ei afficta esse, cum nihilominus ex iis adpareat, columnas occasione, alicujus belli, ab Hercule nomen fortitas.

§. VI.

Non immerito autem suum heroa Ægyptii, ut Diodorus (40) refert, columnas excitasse perhibent, cum & ille vetustior sit, & victoricia iisdem in locis signa circumtulera. Certe armis suis istas orbis plagas illustrasse non uno argumento probari potest. Josephus supra laudatus ex Cleodemo tradit Herculem in Lybiam & Antæum Abrahami filios ex concubina quadam natos secum duxisse, quod de vetustissimo intelligendum & comites

(40) Diod. Sic. lib. 3.

tes hi & ætas indicant. Quem locum etiam Grotius (41) ita explicat: *Herculem intellige non Thebanum, sed multo antiquiorem Phœnicem. Is ipse est Hercules, cujus exercitum in Africam venisse Sallustius commemorat.* Idem (42) certe exercitum ejus ex Medis, Persis & Armeniis compositum fuisse tradit; quæ nomina ex Medianitis, Aramæis & Pheresæis, qui Phœniciaë populi erant, per errorem Sallustio expressa esse, non immerito suspicatur Kippingius. (43) De Persis non dubium sinit Plinius: *Pharusii quondam Persæ comites fuisse dicuntur Herculis ad Hesperidas tendentis* (44) Præterea hic in Hispania, ut Afriputant, interiit: (45) Cum Thebanum in Oeta, monte Thessaliaë, sponte se cremasse constat. Confirmat

C 2

firmat

(41) Grot. de verit. rel. l. 1. §. 16. not. 75.

(42) Sallust Jug. cap. 18.

(43) Antiq. Rom. l. c.

(44) Plin. nat. hist. l. 5. c. 8.

(45) Sallust. l. c.

firmat etiã ritus, quo Hercules in oris  
istis fuerat cultus, non Græcum sed  
orientalem, (sive Phœnicicus sit, sive  
Ægyptius) ibi notum fuisse. Nam  
Livius (46) testatur, *Hannibalem ad  
Gades profectum Herculi vota exsoluisse.*  
Jam vero antea ex Plinio indicatum  
est, Pœnos humana victima Her-  
culi sacrificasse: quod â Græcorum  
more penitus abhorruit. Deniq̃  
manifeste Mela: *in altero cornu (Ga-  
dium) ejusdem nominis urbem opulen-  
tam, in altero templum Ægyptii Hercu-  
lis, Tyrii condidere.* (47) Verum nequic-  
quam de hac re forsã uterque  
populus contenderit, siquidem &  
testimonia adduci possunt colu-  
mnas istas â neutro Hercule excita-  
tas fuisse. Sic enim Eustathius de iis-  
dem: *Olim vocabantur Saturni colum-  
næ, deinde columnæ Briarei: namq̃ usq̃  
ad illos montes protendebantur eorum si-  
nes.* (48) Cui addere lubet verba  
Æliani:

(46) Livius lib. 21. cap. 21. (47) Mela l.  
3. c. 6. (48) Eustath. ad Dionys. Perieg.

Æliani: *Ἀριστοτέλης τὰς νῦν Ἡρακλείους στή-  
λας καλεῖταις περὶ κληθῆναι Ἰβήσο, Φησί,  
Βριάρῳ καλεῖσθαι αὐτάς. ἑπεὶ δὲ καθῆ-  
ρε γῆν, καὶ θάλασσαν Ἡρακλῆς, καὶ ἀναί-  
φιλόγως εὐσεγέτης ἐγένετο τῶν ἀνδρώπων,  
τιῶντες αὐτὸν, τὴν μὲν Βριάρῳ μήμητι  
παρ' ἑὸν ἐπιήσαντο, Ἡρακλείους δὲ πορρη-  
γόρευον id est, Aristoteles affirmat eas  
columnas, quæ nunc Herculis appellantur,  
antequam hoc nomen sortirentur, Bri-  
arei dictas esse. Postquam vero Her-  
cules terram mareq̃, purgasset, & sine  
dubio bene meritus esset de genere mortali-  
um, tum Briarei nomen eos neglexisse  
& Hercules columnas nominasse (49) Ad  
hoc caput Schefferus Hesychium  
laudat, apud quem Βριάρῳ στήλας ex-  
plicantur αἱ Ἡρακλείαι λεγόμεναι, no-  
tatq̃ ex Zenobio in Ἰβήσο ἀλλὰ Ἡρα-  
κλῆς Clearchum meminisse Briarei  
καλεῖταις Ἡρακλέα ante Tyrium Herculem,  
quem & ad columnas istas ait profectum,  
& sic inde acceperint nomen. Hic au-  
tem Briareus an idem sit cujus me-*

C3

mine-

(49) Ælian. H.V.l.5.c.3.

minerant Hesiodus (50) & Palaephatus (51) an alius quispiam, affirmare non sustineo.

## Cap. III.

### §. I.

**S**ic igitur Hercules vestigiâ legens, longa licet vetustate confusa, sentio me ad fretum Gaditanum duci; ad quod etiam pergo, tot ex docta antiquitate viam præeuntibus: quamquam quo longius procedo, eo me incertiores video fieri, evanescentibus prope, quas secutus sum, notis. Signa vero tria suggerunt scriptores, columnarum locum certo indicatura: 1. Terminum expeditionis Herculeæ, 2. Finem mundi, 3. Fretum aliquod illustre. De prioribus duobus ita Strabo, exposito primum oraculo, quo

(50) *Hesiod. Theog. v. 714.*

(51) *Palaeph. cap. 20.*

quo Tyrii coloniam ad columnas Herculis mittere jubebantur: *illud autem quidpiam habet intelligentia, investigare quænam propriè columna dicantur, qui sint mundi & habitabilis terra, vel expeditionis Herculeæ termini.* (1)

Hic autem expeditionis terminus quid obstat, cur non æquè comode explicetur de isto loco, quem postremum adiit Hercules, ac de illo, qui totius terræ est remotissimus? Namque à veteribus monumenta ejusmodi, non tantum ad limites regionum, peregrinationis finem, locumque pugnae; sed etiam ad sepulcra illustrium virorum poni consueverunt: in quem finem plerumque pyramidum Ægyptiacarum erectæ sunt; (2) & tot saxæ moles tumulique ingentes, qui agrum Svedicum ubique distinguunt. Proinde Hercules tot regionibus peragratis, in Hispania terminum expeditionis suæ habuisse

C 4

(1) *Strabo lib. 3. p. 309.*

(2) *Dalecamp. ad Plin. lib. 36. 12.*

buifferecte dici potest, cum ibidem,  
 ut *Afri putant interiisset.* (3) Certe  
*Mela scribit, cur templum Herculis in*  
*Gadibus sanctum sit, ossa ejus ibi sita effi-*  
*cere.* (4) Et *Camerarius ex Berofo &*  
*Annio ejus commentatore adstru-*  
*it, Herculis Aegyptii, non Graeci vel Alcei,*  
*sepulcrum & templum atq; columnas apud*  
*Gades esse.* (5) Ex quibus obiter in  
 Kippingio lapsus memoriae notatur,  
 cum Herculem Tyrium, magnum  
 illum orbis *περιήγητον* in Graecia obiisse  
 scribit, hunc cum Thebano illo in  
 Oeta monte exusto confundens:  
 (6) ut etiam superiori capite anno-  
 tatum est. Atque ita primum si-  
 gnum in Hispania esse satis adparet:  
 videamus num & alterum ibi, & quo  
 in loco, invenire liceat.

§. II.

Erit ita secundus labor finem  
 mundi sive terrae habitabilis inqui-  
 rendi,

(3) *Sallust. l. c.* (4) *Mela lib. 3. cap. 6.*

(5) *Cam. r. hor. subcis. cent. 1. c. 45.*

(6) *Kipping antiq. 1. 6. 9.*

rendi, non tamen eum *quem natura*  
*prohibente homines transgredi nequeunt;*  
 sed quem quacunq; demum ratione  
 vel ita adpellaverant, vel olim puta-  
 verant esse. Firmiter enim veteribus  
 creditum, esse columnas Herculis  
 ad ultimam orbis oram positas. Un-  
 de etiam Pindarus non uno in loco  
 ad eas usque fortium virorum glo-  
 riam divulgatum iri canit; extra  
 quas scilicet non posset efferri. Sic  
 de Therone:

*Ἄπειτα ἴκοθεν Ἡρακλῆος σήλας* etc. i. e.

*Attingit e domo Herculis columnas.*

*Quod ulterius vero est, est sapientibus*  
*in accessum & insipientibus* (7)

Quemadmodū autem Hispania ul-  
 tima regionū Europæ ad occidentē  
 est; sic veteribus totius orbis po-  
 strema habita fuerat. Non enim  
 ulteriorem versus occasum conti-  
 nentem illis notam fuisse quis de-  
 monstraverit: quamvis ad orien-  
 tem meridiemq; latē maria classifi-  
 bus

bus suis perlustrasse Phoenices Pœnosque Plinius, (8) & ante illum Herodotus (9) demonstrant: quin etiam Homeri ætate in Indiam navigatū fuisse Strabo (10) notat. Nam qui Parvaim (11) & Ophir (12) quarum mentionem sacra pagina facit, de Peruviana Americæ regione exponunt, rem nullo modo probant; sicut nec magnetis virtutem Boesiodorus tunc temporis notam fuisse, cujus defectu veteres aut litora legere coacti sunt, aut siderū, quæ tamen non semper lucebant, ductū sequi: (13) adeo ut rectius illi arbitrari videantur, qui auriferam illam terram Ophiriticam aut Zaffalam seu Cephalam Africæ, aut Pegusianum Indiæ tractum interpretantur.

(8) *Plin. l. 2. c. 67.*

(9) *Herod. lib. 4. c. 148.*

(10) *Strabo. Geog. lib. 1.*

(11) *2 Paralip. c. 3. v. 6.*

(12) *1. Reg. 9. 28.* (13) *Vid. Stypman. de navig. l. 3. c. 9. & Horn. hist. nat. l. 4. c. 4.*

tantur. (14) Ut autem ad propositum redeam: Hispaniam olim terræ cognitæ postremam fuisse cum aliæ rationes evincunt, tum præcipue, quod Geographi veteres in longitudine orbis metienda semper ab ea initium facere solebant; hoc est ut accuratissimus Strabo dicit, *ab occasu in ortum, ab extremis Hispaniæ ad extrema India, id quod tum itineribus, tum navigationibus mensuratum (dimensum latinè) est.* (15) Idem alibi: *Etenim duabus ex continentibus mundus finitur, ad occasum Europe promontoriis & Africæ principio, quæ tum Hispani tum Mauritanii tenent.* (16) Ita teste eodem Eratosthenes *ab occasu terminos orbis columnas locaverat Hercules.* (17) Similiter Plinius & ante illum Polybius & Artemitodrus mensuram terræ à Gaditano freto agunt.

(14) *vid. Merula Cosmogr. part. 1. l. 3. p. 195. & Lipenius in navig. Ophirit. p. 518.*

(15) *Strab. lib. 2. p. m. 206.*

(16) *Id. pag. 247.* (17) *Id. lib. 2. p. 119.*

gunt. (18) Qui omnes ab ulteriore aliqua, si quam novissent, sine dubio supputandi initium posuissent. Ne nunc poëtas testes adducam qui solem Hesperio, id est, Hispanico mari mergi canunt, tamquam in loco quem ex vulgi opinione transeurrere nequaquam posset, & ubi cursu finito, quiesceret viresq; repararet.

§. III.

Postquam alterum quoq; columnarum indicium, terminum scilicet orbis, in Hispania inveniri certus sum; jam quo loco sit, inquirendum est: siquidem varia eo nomine sese offerunt promontoria. Nerium certe, quod a priscais accolis Artabrum etiam & Celticum (19) dictum est, hodie *Cabo de finis terre* vocatur: sed ut puto propterea, quod occidentalis & aquilonaris finis est: (20) quæ tamen

(18) Plin. lib. 3. proœm. & lib. 6. cap. 33.

(19) Merul. Cosmogr. part. 2. l. 2. c. 5.

(20) Strab. lib. 3. p. 277.

tamen appellatio veteribus ignota fuerat. Nec ad Sacrum promontorium, hodie *Cabo de S. Vincente* columnas esse putaverim: quamvis hoc non *Europa modo, sed orbis universi in occidentem remotissimum signum terminari* dicat Strabo: (21) quo auctore, Artemidorus templum Herculis, & Ephorus aram ejusdem ibi esse memoriæ prodiderunt. Enim vero deficit hic tertium signum: nec quisquam, quantum scio, è veteribus promontorium Sacrum in freto collocaverat, præter unum Avienum, & quem ille secutus est, cujus ecce tibi verba:

*Nec respiciendus testis est Dionysius, Lybia esse finem qui docet Tartesum. Europe in agro, quod vocari ab incolis Sacrum indicavi, prominens subducitur Locus. Utrosq; interfuit tenue fretum, Quod Herma porro, aut Hercules dictum & paulo post* (est via.

*Hic Herculanæ stant columnæ* (22)

(21) Id. p. 247.

(22) Festus Avienus in ora marit. p. 438.

In

In qua re incuriosus valde Avienus est, quod contra fidem tot scriptorum, Sacrum promontorium fretotenui propinquum facit, Tartessum & hoc interfluenti, cum potius ingens finus sive vastum mare hæc duo discriminant. Nec insuper culpa vacat, quod Dionysio *Tartessum Lybiae esse finem docenti* nimis facile fidem habuisset. Siquidem constanter reliqui omnes (23) Iberico littori Tartessum adscribunt, ad quæ Bœtis ostium (qui etiam Tartessus olim dictus) sitam fuisse ostendunt, sive Carteia postea aliove nomine dicta fuisset, sive corrupte hodie Tariffa (24) dicatur. Nisi ad excusandum poetam pertineat, quod Dionysio non tam crediderat, quam sententiam ejus, ut fere per omnia, ita hic quoque expresserat. Sane alibi de Tartesso sanius canit:

Gadir

(23) Strabo lib. 3. Plin. hist. nat. lib. 3. c. 1.  
1. Mela 2. 6. Paus. l. 6. c. 196. Herod. 1. 42.

(24) Merul. cosmogr. p. 368.

Gadir prima fretum solida supereminet arce,

Atorlitæ, caput geminis inserta columnis,  
Hæc Cotinusa prius fuerat sub nomine  
prisco,

Tartessumque, dehinc Tyrii dixerunt coloni:  
Barbara quin etiam Gades hæc lingua  
frequentat,

Pœnus quippe locum Gadir vocat undique  
septum. (25)

Promontorium itaque sacrum, postquam columnas ibi videndi spei irritus sum, transectus, finum fretumque Gaditanum lustrabo.

#### §. IV.

Ut autem hoc faciam, duæ potissimum diversæ opiniones me impellunt. Enimvero, teste Strabone, *Dicaearchus, Eratosthenes, Polybius, & Graecorum plurimi, ad Euripi angustias, columnas esse manifeste demonstrant. Hispani autem & Afri apud Gades esse inveniunt.* (26) Utra verisimilior, nunc dispi-

(25) Avien. in descript. orb. (26) Strab. l. 6.

dispiciendum. Supra indicavi sepulcrum Herculis apud Gades esse: Unde etiam facile quis suspicari posset, ei ex consuetudine veteris ævi, ingentem pilam, unam pluresve fuisse adpositas: iisq; quocunq; demum casu disiectis, mansisse nomen vicinæ regioni. Nam qui nullas ibi columnas fuisse argumentatur, quod hodie non conspiciantur, nã is rationi & experientiæ reclamat. Quot turres, quot palatia, quot ingentes olim celebratæ sunt urbes, Babylon, Tyrus, Carthago, iisq; pares, quarum hodie vix tenuia rudera comparent? Imo etiam, ut cum Floro loquar, *ipse urbium ruine dirute sunt. Hoc tunc Vejentes fuere, inquit idem: nunc fuisse quis meminit? quæ reliquæ? quod vestigium? laborat annualium fides ut Vejos fuisse credamus.* (27) *Et jam seges est, ubi Trojã fuit.* (28) *Quanta olim Birca, caput Sveonum, fuerat?*

(27) Florus. l. 12.

(28) Ovid. Heroid. c. 1.

rat? ejus tamen sedes hodie difficulter monstratur: certe vicinis nostris dubiam esse memini. Quid si tam vasta opera abolere potuerat ætas, quanto magis columnas aliquas: Hæc non mera inniti conjecturã docebit etiam Rhodiginus. (29) Porro eas Gadibus fuisse, etiam Alexandri M. tempore rumor fuerat; qui *Numidiæ solitudinibus peragratis, cursum Gades dirigere statuerat. Ibi namq; columnas Herculis esse fama vulgaverat.* (30) Idem & Dionysius censuit

Ἡαῖος δ' ὦ μέσσι σκολίαι ἐπέποιε κελύβες,  
 ἠεζάμεναι σοιχηδὸν ἀφ' ἐσπίεσσι ὠκεανῶα,  
 Εἴλα το καὶ σήλαι περὶ Ἰέρμασιν Ἡρακλῆος,  
 Ἡσίων (μὲγα θαύμα) παρ' ἐσχατῶντα  
 Γάδερα. id est.

Obliquas narrate vias, mihi dicite Musa,  
 Oceani Hesperis a gentibus incipientes;  
 Ad fines, ubi sunt erectæ forte columnæ  
 Herculeos, mirum juxta suprema Gadira.  
 (31) Gadir autem lingua punica septum locum significare ex Avieno patet;

(29) Cæl. Rhodigin. lib. 17. c. 20.

(30) Curt. l. 10. 1. (31) Dion. de situ orb.

patet; sive ut Plinius ejusq; firmia Solinus (32) volunt, *Sepem*. Nomen inde procul dubio inditum, quod nostrum orbem quasi sepire & claudere credita fuisset: quod non unis veterum testimoniis comprobari potest. Strabo certe *eam in extremo sitam orbe terrarum* scribit (33) Et juvenalis ultimam aliquam tellurem designaturus ita canit:

*Omnibus in terris qua sunt a Gadibus usq;  
Auroram & Gangem.* (34)

Vellius similiter: *Ea tempestate & Tyria classis, plurimum pollens mari, in ultimo Hispania tractu, in extremo nostri orbis termino, insulam circumfusam Oceano, per exiguo a continenti divisam freto, Gades condidit* (35) Hisce subjici meretur Heliodori cujusdam monumentum, quod apud Gades visitur cum hac inscriptione:

D. M. S.

(32) Solim. c. 36.

(33) Strab. 3. p. 252.

(34) Juven. Satyr. 1.

(35) Wellejus Pater. 1. 2.

D. M. S.

*Si lubet legito.*

**H**ELIODORUS INSANUS  
CARTHAGINENSIS AD  
EXTREMUM ORBIS SAR-  
COPHAGO TESTAMENTO ME  
HIC JUSSI CONDIER UT VIDE-  
REM SI QUISPIAM ME UN-  
QUAM INSANIOR AD ME VI-  
SENDUM AD HÆC USQUE LO-  
CA PENETRAVERIT. (36) *Quid*  
*quod extra orbem conditas* Plinius (37)  
*Solisq; cubilia Gades* Statius (38) di-  
xere? Plures citare testes non atti-  
net; cum ex hisce satis, puto, con-  
stiterit, Gades olim terminum or-  
bis fuisse existimatas: quin & pro-  
montoriū insulæ occidentale, quod  
accolis modernis S. Sebastiani ad-  
pellatur, a nautis finem mundi, *Het*  
*eynde der Wêreld* vocari Ortelius (39) te-  
statur.

D 2

§. V.

(36) Petrus Appianus in collect. p. 299. &  
Camer. bor. sub. Cent. l. c. 45. (37) Plin. s. 9.

(38) Statius silv. 3. v. 138.

(39) Ortel. in descript. Gad.

Quæ hæcenus attuli, firmare videntur incolarum traditionem, quod apud Gades columnæ sint quærendæ; sed non indicant quo in loco, quæve ex materia constituerant. De qua re item variantes lubet opinionis proferre. Cicero, si recte intelligo, magnam insulæ partem rationem earum habuisse innuit hisce verbis: *Gaditanorum mœnia, delubra, agros, ut ipse Hercules itinerum ac laborum suorum; sic majores nostri imperii, ac nominis populi Romani terminos esse voluerunt* (40) At quidam alii, inquit Strabo, *columnas dici illas ajunt, quæ intra Herculis adem in Gadibus extant. Sunt autem ex ære cubitorum octo, in quibus construendi templi sumptus inscriptus est.* (41) Sed istam opinionem ipse paulo post convellere conatur, dicendo Gades talibus in locis non consistere, ut extremitatem denotent,

(40) Cic. orat. pro Balbo cap. 16.

(41) Strab. lib. 3. p. 308.

tent, sed in medio sinuofilitoris: deinde ex more vetusto ductores exercituum columnas suæ expeditionis posuisse, cum templum in quo hæc columnæ sunt, mercatores construxerant: ipsam inscriptionem nihil nisi impensæ summam indicare: & denique credibilius esse, columnas magnificentiæ Herculiæ monumentum existisse. Hæc, inquam, sunt argumenta, quibus indigenarum traditionem oppugnat: quantum vero valent, ex iis quæ antea adlata sunt, quis judicet. Hoc tantum adjicere non pigebit, etiam sequentibus creditum esse temporibus columnas hic existare. Nam Isidorus (42) sua ætate easdem Gadibus fuisse tradit: & Ortelius in mappis Geographicis geminas prope litus ponit; quas Heckelius (43) in meditullio insulæ sitas, ab incolis *Torres de Hercules* dici scribit.

(42) Isidor. Orig. lib. 13.

(43) Heckelius ad geogr. Cluver. l. 2. c. 7.

scribit. In proxima denique conti-  
nenti, non procul ab urbe Hispalē-  
si, eodem nomine columnas exsta-  
re testatur, ad quas aquæ ductus  
ejusdem urbis terminantur. (44)

§. VI.

Quid solidi altera opinio, qua  
ad freti angustias columnæ collo-  
cantur, in se contineat, nunc expē-  
dendum venit. Sane vetustissimos  
illa ē scriptoribus nacta est patro-  
nos: cum prior Gaditanorum fer-  
me traditione innitatur. Prætere-  
nim a Strabone citatos, ipse historiæ  
parens eandē fovet sententiam; qui  
enumeratis accolis Atlantis, Libyæ  
montis, adjicit: *διήκει δ' ὡς ἡ ὄρεύν υέχει*  
*Ἡρακλίων σπλάων*, Porrigitur autem id  
supercilium ad columnas Herculis: (45)  
Ubi non alias quam quæ freto Her-  
culeo propinquæ sunt intelligi inde  
concluditur, quod veteres omnes  
Atlan-

(44) Ortel. in delineatione compētus Hisp.

(45) Herod. lib. 4. c. 178.

Atlantem in extremis Mauritaniae  
Oceanoque vicinis posuissent. Idem  
certe alibi Gades *ἐξω ἐπὶ Ἡρακλίων σπ-  
λάων ἐπὶ τῶν ὄρεων*, extra columnas Her-  
culis in Oceano (46) locat. Clarius ad-  
huc Plato, insula, inquit, (Atlan-  
tica) in ore maris, adituque ad eas an-  
gustias, quas vos (Athenienses) Herculis  
columnas vocatis, existit (47) Dicit  
autem quas vos Athenienses Herculis co-  
lumnas vocatis, cum etiam apud Ga-  
des esse eas fama vulgaverat. Recte  
proinde Pindarus portas dixit Gaditanas,  
se in ostio columnæ intelligantur. *Ὁρανὰ  
ἔξω σπλάων* & similia portis habent. (48) Ad eas  
enim novissimas Herculem profe-  
ctum esse ipse idem dicitavit: (49)  
Quem Pindari locum hodie non in-  
veniri dolendum est, cum multum  
inde lucis huic rei accederet: quam-  
vis non pauca ex Pythiis ejus & Isthi-  
miis huc facientia adferri possent.  
D 4 Recte.

(46) Idem capit. 141.

(47) Plat. in Timæo p. 525.

(48) Strab. lib. 3. p. 311. (49) Idem p. 308.

Recte etiam Florus ostium Oceani vocat, qui etiam pugnam navalem inter Pompejanos Cæsarisq; legatos commissam describens, ita loquitur: *Adde situs ipsius formidinem, vergentia in unum, hinc Hispania, inde Mauritania litora; mare & intestinum & externum, imminentesq; Herculis speculas* (50) subjungam Strabonis iudicium, veteris geographiæ peritissimi, qui recentis variorum opinionibus, columnas freto non indubius adscribit: *quoniam in ejus generis locis coeclituta sunt, quæ aperte ultima a se denominant; pro quo & fretum os dicitur, & hoc ipsum & alia complura. Ipsam os quidem intronavigantibus initium est, foras autem enavigantibus exitus est & extremum.* (51) quamvis in sequentibus dubius, montesne freto imminentes, an insulas in ore perexiguas columnas adpellare debeat.

§. VII.

(50) Florus lib. 4. c. 2. v. 75. 76.

(51) Strab. l. c. 9. §. 2. c. 2. §. 2.

§. VII.

Opinio quidem, quæ freto Herculeo columnas vindicat, verisimilior videtur, tot scilicet veterum auctoritate confirmata: qui vero eam sequuntur non conveniunt quid nam ibi pro columnis habendum sit. Nū manu positæ, vel naturâ? Cumulæ saxorum, an rupes, insulæve? quæ omnia his verbis Hesychius est complexus: *Columnas ancipites quidam Herculeas columnas, nonnulli eas insulas esse dicunt; alii terra aggeres: quidam terra continentis summitates (extremitates, litora) quidam civitates, quidam duas, quidam tres, quidam unam, quidam quatuor.* (52) Manu factæ sane non conspiciuntur: de quibus tamen Strabo non inepte hoc modo differit: *Hic etiam haud incredibile est, priores illos fabricatis manu finibus usos esse, altibus scilicet, aut turribus, aut columellis, eos apud locos, ad quorum ultima illustres viri pervenerunt. Illustria vero sunt hujusmodi*

D5

jusmodi

(52) Hesych. cit. Vossio in not. ad Sigl. p. 7.

jurmodi freta, incumbentes montes, minores insula, ut regionum primos vel postremos designemus limites. Cum autem manu constructa defecere monumenta, in locos ipsa traducta sunt nomina, sive insulas, sive promontoria dicere malueris. (53) Qui autem naturales Statuunt, in diversas iterum scinduntur opiniones, quarum duæ maxime celebrantur. Aliqui enim columnas Calpem & Abylicem opinati sunt, montem ex Africa prominentem: quidam autem exiguas prope utramque insulas. Eorum qui posteriorem profitentur. Euctemon Atheniensis dixit:

Non esse saxa, aut vertices ad surgere  
Parte ex utraq. Cespitem Lybici soli  
Europa & oram memorat insulas duas  
Inter: nuncupari has Herculis  
Ait columnas. (54)

Cum quo Marcianus concinit:  
Insule vero harum ab utraq. parte sitæ,  
Distantes inter se triginta fere

Stadiis;

(53) Strab. l. c.

(54) Rufus Avien. l. c.

Stadiis; vocantur vero à quibus Herculis Columnæ. (55)

Insulas autem in freto extare certum est, sed exiguas; quæ quoniam descriptionem facilem & insignem habent, non tenuiter columnis æquiparari possunt, inquit Strabo: qui antea (56) quoq; duas parvas in eodem loco insulas commemorat, columnas à nonnullis appellatas. Quod tanto magis olim creditum est, quod iisdem insulis & templa & aræ Herculis inerant. (57)

### §. VIII.

Sed nec suis altera opinio assertoribus destituitur, & fabulam habet admixtam, Herculem perfosso inter Libyam Iberiamque isthmo, duo maria, quæ antea divisa fuerant, commisisse, Atlanticum scilicet & Mediterraneum. Qua de re Plinium

(55) Marciam. Heracleota v. 147. cit.

(56) Strab. p. 305.

(Rudb.

(57) Avien. l. c.

Plinium audire juvat, ita loquen-  
tem: *Proxima à faucibus utrinque im-*  
*positi montes coërcent claustra, Abila Afri-*  
*ca, Europa Calpe, laborum Herculis meta.*  
*Quam ob causam indigenæ columnas ejus*  
*Dei vocant, creduntque per fossas exclusa*  
*antea admisisse maria, & rerum natura*  
*mutasse faciem.* (58) A quo Solinus ut  
alias fere nunquam, ita nec hic a-  
bit, *utèa* & inquires, quem Græci sic  
nominant a celeritate ab occasu solis irrum-  
pens, levo latere Europam radit, Africam  
dextro scissisq; Calpe & Abila montibus,  
quos dicunt columnas Herculis inter Mau-  
ros funditur & Hispaniam. (59) Sed an-  
te omnes Melæ testimonium huc fa-  
cit, quod à Mellaria non procul à co-  
lumnis sita oriundus, tanto majo-  
rem hujus rei peritiam habuisse cre-  
di possit. Dicit ille esse montem præ-  
altum, ei quem ex adverso Hispania at-  
tollit, objectum; hunc Abylam illum Calpen  
vocari, columnas Herculis utrumque. (60)

Eadem

(58) Plin. lib. 3. præem.

(59) Solin. l. c.

(60) Mela lib. 1. 5.

Eadem postea iterat, adjecta Cal-  
pes descriptione; quæ certe hic no-  
tari meretur. Proxima inter se Eu-  
ropæ atque Africæ litora montes  
efficiunt, columnæ Herculis Abyla  
& Calpe: uterque quidem, sed Cal-  
pe magis & pene totus in mare pro-  
minens, is mirum in modum con-  
cavus, ab ea parte qua spectat occa-  
sum, medium fere latus aperit, atq;  
inde ingressus, totus admodum per-  
vius. (61) Accedat Plinius (62) Cal-  
pen *extimum Hispania montem* vocans:  
& Strabo, qui eundem dicit circui-  
tu non magnum admodum, altitu-  
dine vero ingentem & arrectum,  
adeo ut longinquis insulæ formam  
præbeat. (63) Quibus e recentiori-  
bus super Hydrographos Mariana  
(64) & Merula adjungantur. Hæc,  
inquam descriptio adversus Eucte-  
monem eosque notari debet, qui  
neutrum

(62) Plin. lib. 3. 1.

(63) Strab. l. 3. pag. 251.

(64) Mariana l. 1. c. 3. de reb. Hisp.

neutrum freti litus tumere montibus tradunt; nec quidem eos qui in remotiori à litore regione surgunt, Calpes & Abylæ nomina habere. Verum enimvero cui majorem debemus fidem extraneo, an Melæ indigenæ, tot insuper aliorum testimoniis suffulto? Aut quæ ista colligendi ratio est? Nulli hoc tempore montes prope fretum Gaditanum Abylæ & Calpé nomina servant; Ergo nec olim ea habuerunt. Quasi novum esset, in tanta rerum temporumque vicissitudine antiqua nomina abolere: præsertim cum scriptorum fides huic freti prænominatos montes constanter attribuisset. Sed Abylam & Calpen, mutato licet nomine, litori freti Herculei accumbere facile evicerim: An vero eædem columnæ sint, quas Hercules suæ expeditionis monumentum esse voluerat, in tanta opinionum varietate adfirmare equidem non audeo. Nec enim mearum

rum est virium eas lites componere, quas eruditiores quondam frustra tentarunt. Sufficiat mihi demonstrasse, quod veterum plerique columnas ad fretum Hispanicum posuissent, quodque hi maxime montes speciem earum habeant: postquam columnæ manufactæ, si modo quæ fuissent, nusquam hodie comparent.

## CAP. IV.

§. I.

**P**Utaveram hoc labore defunctum, aut invenisse me columnas Herculis, aut non procul ab eis abfuisse; cum ecce alia rursus tempestat cymbulam quærendo fatigatam in altum rapit. Utar itaque hac occasione ad alias terras indicandas, ubi itidem esse columnas, rumor ad aures meas pervenerat. Cur enim Herculem qui tanta terrarum spatia emensus est, pluribus in locis memoriam sui reliquisse non

non credam? Aut cum plures fuissent Hercules, cur unum tantummodo columnas posuisse putabo, & cæteros primum, in aliis quidem rebus, non autem in monumentis sibi ponendis imitatos esse? Hoc verisimilius est causam esse tot diffidentium de columnis opinionum, quæ omnis ævieruditos vexaverat. Equidem non de nihilo est, quod quidam eas *longius à Gadibus foris jacere* dixissent: quod etiam in India, ad cuius extrema Hercules venerat, columnas ejusdem fuisse Macedones putassent, nullas licet, quæ tum erectæ stabant, invenissent. (1) Nec Tacitus hic loci mihi est prætereundus, qui Frisiorum nationes Rheno usque ad Oceanum prætexi dicens, hæc adjicit: *Ipsam quin etiam Oceanum illa tentavimus: Et superesse adhuc Hercules columnas fama vulgavit: sive adiit Hercules, seu quidquid ubiq; magnificum est, in claritatem ejus referre consuevimus.*

(1) Strab. l. c.

*suevimus. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obsticit Oceanus in se simul atq; in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit: sancti-usq; ac reverentius visum de actis Deorum credere quam scire. (2)* Non eas hic intelligi columnas, quas fæto Gaditano asserui; utpote quas Romani optime noverant, satis liquit: sed aliàs in aliquo versus septentriones loco collocatas.

§. II.

In Boreales autem plagas venisse Hercule non pauci testantur. Apud Senecam ita loquens introducitur:  
*- - - nulla me tellus silet.*  
*Me sensit urse frigidum scythicæ genus. (3)* Verum cum Scythia plurimas complectitur regiones, videndum cui earum virtutis suæ famam Hercules maxime intulerit. In Ogygiam penetasse Plutarchus scibit, & ejus incolas existimare Saturnio populo posterioribus temporibus Hercules comites se admisuisse, ibiq; relictos, jam extinctum

E

fermo

(2) Tacit. Germ. c. 34.

(3) Senec. Hercul. Oct. v. 39.

ferme lingua, & legibus vitibus, barbaricis  
oppressum Græcum morem resuscitasse atq;  
auxisse. (4) Ogygiam autem non  
altiam esse, quam Scandiam nostram  
prolixè Celeberrimo Rudbechio (5)  
demonstratum. Pausanias Herculem  
apud Hyperboreos fuisse tradit:  
quò auctore esse Hyperboreos ipsos gen-  
tem supra aquilonem primus certe versibus  
mandavit Olen Lycius. (6) Quid no-  
men Hyperboreorum sibi velit, cum  
scriptores non intellexissent, vo-  
cantes eos super aquilonares, inde  
factum est, quod aliqui talem repe-  
riri gentem negaverint, cum ultra  
Borean nulla habitatur tellus. (7)  
Ast veram vocis hujus originem  
detexit ingeniosissimus Rudbeckius,  
(8) docendo antiquissimum Sveo-  
num regem Borem fuisse, abq; illo  
originem trahentes, ut & nobiles  
præstantesq; viros, lingua Scandica

Toer-

(4) Plutarch: de fac. lun. p. m. 380.

(5) Atlant. a. c. 8. (6) Paus. lib. 5. c. 54.

(7) Vid. Strab. l. 2. p. 110.

(8) Atlant. a. cap. 9. §. 2.

Herbarne seu Hyperboreos dictos. Præ-  
terea Sveonas eosdem esse arguunt  
illa, quæ de cardine mundi apud  
Plinium (9) aliosq; quæq; de genere  
mortis Hyperboreis usitato tradun-  
tur: quas ubi vivendi satietas magisq;  
tadium cepit, hilares redimiti fertis, jemet  
ipsos in pelagus ex certa rupe præcipites  
dant: id eis funus eximium est. (10)  
Similia de Gothis historia Gothri-  
ci antiquo sermone Scandico con-  
signata habet. Nam Scarpna-  
tungerus postquam suis extremum dixisset  
vale, & ultimam voluntatem suam expo-  
suisset omnibus, jam senio gravis una cum  
uxore rupem altissimam, Gyllingshammar,  
adjuvantibus cum gressusq; seniles & tar-  
dos regentibus liberis, conscendit: in sum-  
mo autem vertice montis, quem Attiapel  
ipsi vocaverunt, constituti parentes, mox  
se præcipites dederunt, & læti lubentesq;  
ad Odini aulam concesserunt. (11) Ad  
quem locum multa de hoc veterum  
Scandianorum more erudite b. m.

E 2

Verelius

(9) Plin. 4. c. 12. (10) Mela lib. 3. c. 5.

(11) Histor. Gotbrici c. 2. p. 12.

Verelius commentatus est. Hisce adde, quod *Hercelberga* pagus in Sudermanniâ, Svedica provincia, nomen Herculis servet; cujus pars Recaria Herculis cognomini Recaredi originem procul dubio dederat. (12)

§. III.

Satis igitur causæ erat, cur nonnulli in septentrione nostro colūnas Herculis indagare adgrederentur, postquam tot ejus vestigia, signaq; quæ columnarum locum arguere debent, hic repererant. Scandiam enim orbis habitabilis ad hanc plagam terminum esse, ultra quem victorias suas Hercules proferre nequisset, certum est. Quippe Gronlandia, polo licet arctico propinquior, sero incolas accepit: nec acceptos dui retinuit. Sane ante seculum nonum an aliquos habuisset, nemo memoriæ prodiderat. (13) Denique huic de columnis Herculis assertioni maximum inde pondus supe-

(12) *Rndb. Atl. a. c. 33.*

(13) *Kelat. anonymi de Gronl. c. 4.*

superadditur, quod easdem Sveonia ostentare possit, nondum abolito nomine obscuratas, nondum ulla vetustate collapsas exesasque. Nostrates jam non testes citabo: inspiciantur tantum mappæ hydrographicæ Belgarum, Classenii, Vagenari, Lonii, Blavii aliorumque, in quibus ad initium sinus inter Holmiam Tilgamque se subducentis, *rupem quandam nomine Hercol; sive Herculis* invenies: alias rursus columnas ad fretum Balthicum nomine *Koll* & *Herkoll* annotatas adspicies: & tandem ad extremum Lapponiæ promontorium, in insula Maggerunica, duo montium cacumina, quæ *Norkois Stabberna* i. e. *columnæ Herculis* adpellantur. De quibus singulis plura apud Celeberrimum Rubekium, (14) qui diligentissime hæc persecutus, est, legantur. Hæctalia perpendiculari non erit dubitandi locus, quin celebratissimas istas Herculis columnas, in hunc usque diem patria

patria nostra intactus certasque ser-  
vet; cum quæ cunque in aliis terris,  
sivè sunt, sivè fuerant, dubias nimia  
scriptorum contentio ætasque faci-  
ant. Hoc tantum mirari subit, quod  
in historiis Scandiæ vetustis tam al-  
tum de columnis Herculeis silentiũ  
fi: quodq; Sturlesionus, qui sub initiũ  
seculi decimi tertii floruit clarissima  
rerum septentrionalium peritia, eas  
freto Gaditano adscripsisset. (15) Un-  
de suspicabar aliquando montes sco-  
pulosq;, qui columnarum Herculis  
nomine apud nos insigniuntur, à re-  
centioribus, nostriq; seculi homini-  
bus, quod veterum istarum speciẽ  
aliquam referrent, hanc adpellatio-  
nem traxisse. Quem scrupulũ si quis  
animo eximere meo potuerit, con-  
fidentius ipse columnas Herculis pa-  
triæ meæ vindicavero. Hæc sunt,  
Humanissime Lector, quæ de hoc  
argumento apud probos annotata  
scriptores congesseram; quæ nõ mi-  
hi, nedum aliis suffecerint, tot præ-  
termis-

(15) Sturleson. Chron. Norweg. p. 1.

remissis, quæ jure meritoq; huc per-  
tinentia expendi meruissent. Verum  
faciliorem ab iis veniam me im-  
petraturum confido, qui sciunt quã  
librariæ supellectilis inopiã hæc qua-  
liacuncq; confecta sunt: quæ forsitan  
hic exactius tractata fuissent, nisi fe-  
stinatio ad aliã negotia supremam  
imponere manũ coëgisset, antequã  
publica Bibliotheca, quæ munificen-  
tia Clementissimi Regis, hujus Aca-  
demie instauratoris, jam adlata est,  
rite ordinata fuerat. Interim DEO  
Ter Opt. Maximo æternas ago gra-  
tias, pro indulto nobis adprosequen-  
da studia otio, quæ ut in nominis  
ejus gloriam vergant, ex ani-  
mo precor.

Monieur.

**L**es hommes vaillans ne sont jamais in-  
connus, leur renommee s'epand par tout, &  
ne souffre point de bornes. L'exemple d'Her-  
cules nous donne une preuve assez convaincante de  
cette verité, si nous voulons ajoûter foi à ce qui se  
trouve couché par escrit de luy. En effet la gloire  
de ses exploits & de sa vertu herotique l'a rendu si  
illustre parmi les gens, qu'on a commence de luy at-  
tribuer une majesté divine. Le dernier de ses bra-  
ves

ces faits, par lequel il a voulu borner ses travaux,  
étoit celui de dresser ces colonnes, qui ont depuis été  
si celebres par toute la terre. Voici, Monsieur, ce  
qui vous a servi de sujet, pour donner au public quel-  
que marque de vôtre bel esprit, aussi bien que de  
vôtre diligence, en nous expliquant cette matière, si  
obscur, la quelle a tellement travaillé les sçavans de  
tout tems, que ils ne tombent passés encore d'accord  
scuchant la Situation de ces colonnes. Comme J'ai  
donc l'honneur d'être au nombre de vos amis, J'ai  
crû que c'étoit de mon devoir de vous en feliciter,  
Et de vous exprimer en quelque façon le contentement,  
qui m'en demeur. Notre reciproque amitié ne per-  
met point que je m'étende ici sur les louanges de vôtre  
merite. Aussi faudroit il une plume plus habile Et plus  
exercée, que n'est la mienne pour s'en acquiter digne-  
ment. C'est assez que vôtre bel œuvre se rend assez re-  
commendable de luy même aux bons, Et ne Sautoit être  
blamé, que par ces ignorans, qui ne Sachant eux me-  
mes produire rien de bon se mettent à blamer ce que  
produisent les autres, se plaignant d'ailleurs a toute  
heure mal a propos de ce qu'on n'écrit rien comme ils  
desint, ici parmi nous. Pour moi je laisse à ceux leur  
Fantaisie impericente, Et prie Dieu seulement du fond  
de mon ame, qu'il luy plaise de faire bien réussir votre  
honête dessein, Et de vous donner toujours toute Sorte  
de felicité, afin que vous recueilliez a vôtre grand con-  
tentement les fruits de vos soins Et de vôtre vertu. Au  
reste je vous supplie de me conserver toujours l'honneur de  
vôtre amitié, vous assurant que mes effets beaucoup  
mieux que mes Paroles vous temoigneront, combien je  
vous estime Et a quel point je suis

Monsieur

Votre treshumble Et tres obéissant  
serviteur

P. Wagner.